



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1738. usque ad annum 1740

Fleury, Claude

Augustæ Vindelicorum, 1786

VD18 90119355

§. 60. Contraria Ducissæ decleratio ad Ordinum protestationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67878](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67878)

pro suo officio, quo Principis Majestatem & patriæ libertatem conservare obstringuntur, contra ejusmodi vexationes protestentur; hujus tamen temerarii actus veniam sibi eo certius concedi petunt, quo magis intimo cordis dolore perceperunt, quod Ickstadius Herbiopolensis Professor jussu Serenissimæ Ducissæ scriptum in Lipsiensibus Novellis recensitum publici juris fecerit, in eoque reversales a defuncto Duce factas velut famosas reversales non sine præfati Ducis injuria, & Wirtenbergensis Provinciæ calumnia traduxerit, & tam noxium venenum disseminarit, ut exteris quoque offensionem esset, & patriæ periculosissima mala inde oritura imminerent: Ne ergo ejusmodi Episcopales usurpationes deinceps pertimescendæ essent, se coactos inquirunt, ut suas querelas ad *Corpus Evangelicorum* deferant, & Imperii pacta, Ducalem sponsonem, & Reversales, necnon Ducatus libertates non sine honorum ac sanguinis dispendio partas conservari supplicent &c.

§. LX.

Contraria Ducissæ declaratio ad Ordinum protestationem.

Yy 2

Per-

Sæc. XVIII.
A. C. 1740.

Sæc. XVIII.
A.C. 1740.

Perlecta hac Provincialium Ordinum
oppositione Serenissima Ducissa pa-
ctam conscientiae libertatem frivolis
ejusmodi cavillis opprini, nodumque
in scirpo quæri, probe quidem prospere-
xerat, graviores tamen ab eis motus
conflari verita, die duodecima Martii
ad illos has dedit literas.

„Nos Dei gratia Maria Augusta re-
gnans Wirtembergensis Ducissa Vidua
„&c. præsentibus hisce declaramus,
„notumque facimus, quod ab Admi-
„nistratore & supremo Tutore orete-
„nus, necnon a Con- tutorio Collegio,
„sicut & Ordinibus Provincialibus hic
„congregatis per literas die quarta
„Martii ad Nos datas perceperimus,
„quod actus confirmationis in huiate
„nostro Palatio Principi Filiae nostræ,
„necnon collatio primæ Tonsuræ Prin-
„cipi Friderico Eugenio tertio genito
„Filio nostro a Constantiensi Suffraga-
„neo Comite de Fugger facta unacum
„ceteris circumstantiis ab eis allegatis
„non immerito multos timores, curas,
„& motus vel ideo concitarit, eoquod
„male edocti inde facile suspicari pos-
„sent, perinde acsi Constantiensis Epi-
„scopus actum juris Diæcesani exer-
„cuisset, proin abolita Ordinariatus
„jura contra clarum Pacis Westphalicæ
„& reversalium a defuncto Marito nostro
„tam

„tam Corpori Evangelicorum quam Sæc. XVIII.
 „universo Wirtenbergenſi Ducatui da- A. C. 1740.
 „tarum, & poſtea a Nobis utpote ſu-
 „prema Tutrice confirmatarum tenorem
 „in hiſce Evangelicis ditionibus reſu-
 „ſcitare intendiſſemus.,

„Cum autem præſatus Conſtanti-
 „ſis Episcopus ſuum Suffraganeum nul-
 „latenus tanquam Ordinarius deputa-
 „rit, ſed unice ideo, quia hic actus
 „a nemine alio, quam ab Episcopo vel
 „alio per eum delegato exerceri pot-
 „eſt, in hac qualitate requiſitus fuerit,
 „aliunde vero ſummopere exoptaviſſe-
 „mus, ut per teneram ætatem, &
 „hyemis rigorem, præſatum Princi-
 „pem, ejuſque Sororem, & quidem
 „illum pro recipienda tonſura, cujuſ
 „receptio ob obtentum Salisburgenſem
 „Canonicatum omnino differri non po-
 „tuit, & hanc pro Confirmationis Sa-
 „cramento, extra hanc Regionem mit-
 „tere licuiſſet: ac inſuper hi actus in
 „noſtro cubiculo clauſis januis peractus
 „fuerit, nec unquam Nobis aut præ-
 „ſato Episcopo Conſtantiſi in men-
 „tem venerit, hac ratione ullo modo
 „juſ Diæceſanum, vel juridiſtionem
 „Eccleſiaſticam invehere, hinc omnino
 „declarandum teſtandumque cenſui-
 „mus, nobis ex pace Weſtphalica &
 „Reverſalibus haud incognitum eſſe,

Yy 3

„quod

Sæc. XVIII. „quod nullum jus Diæcesanum vel Ju-
A. C. 1740 „risdictio Ecclesiastica vel ullus actus
 „ad eam spectans a Catholico Episcopo
 „vel Ecclesiastico in Evangelico hoc
 „Ducatu & Regione locum habere vel
 „introduci queat, hic vero actus nul-
 „latus eo spectet, aut ullo unquam
 „tempore ad id allegari, vel inde præ-
 „judicium aut sequela duci possit, sed
 „omnia juxta præfatæ pacis & Rever-
 „salium tenorem in omnibus immote
 „semperque conservanda sint, oppigno-
 „rata hanc in rem Principis fide,
 „verbo & honore. „

„In cujus fidem, firmitatem ac cer-
 „titudinem Provinciæ Ordinibus post
 „præviã sufficientem rei gestæ in-
 „formationem hæc proprio chirogra-
 „pho, & appenso sigillo munita dedi-
 „mus, Stutgardiæ die duodecima
 „Martii Anno 1740. „

Has literas Serenissimus Admini-
 strator Provincialibus Ordinibus tra-
 didit, eisque declaravit, quod Ducissa
 eorum scriptum iniquo tulerit animo,
 de cetero autem nec in Herbipolensi
 scripto, nec in ejus divulgatione ullam
 partem habeat: His contenti Ordines
 Administratori scriptotenus grates re-
 penderunt. Constantiensis vero Epi-
 scopus Joannes Franciscus Schenck
 Baro de Stauffenberg die trigesima
 ejus-

ejusdem Mensis adversus Ordines vehementer querebatur, eo quod in Pace Westphalica Episcopis duntaxat in Protestantibus, non autem in Diæcesanos Catholicos, jurisdictionis Episcopalis usus fuerit suspensus, & defuncti Ducis reversales essent nullæ, &c.

Sæc. XVIII.
A. C. 1740.

§. LXI.

Caroli Alexandri defuncti Wirtenbergensis Ducis testamentum vindicatum.

De reversalibus seu de pacto, quo defunctus Dux primo Belgradi anno hujus sæculi vigesimo nono & tertio post anno die decima sexta Decembris Lutheranam Religionem & privilegia in suo Ducatu non turbaturum se spondit, frequens jam occurrebat mentio; cum autem inde haud leves orientur querelæ, & Protestantes ipsum Caroli Alexandri testamentum velut paci Westphalicæ, & particulari Religionis Statui Wirtenbergico contrarium traducerent, pluraque alia in defuncti Ducis præjudicium spargerent, hinc ipsa Ducissa Vidua doctissimo Joanni Adamo Ichstädio Consiliario Aulico, ac Juris publici in Herbiopolensi Universitate Professori negotium dedit, ut hanc controversiam discuteret, quod

Yy 4 &